



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs IX. De Apostatis, & reiterantibus Baptisma.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

An ordinationes alique actus sive gesta per schismaticos sint valida?

Quæ sunt ex potestate ordinis sacramentalis à schismatico Episcopo v. g. valida sunt, non quidem quasi licitam executionem daret, quòd enim talis non habet, sicuti non habet, ordinis sui licitam executionem, alteri

dare non potest, sed quoad substantiam, ita ut characterem ordinis & confirmationis, confirmati ab illo, & ordinati verè recipiant, (modo legitima forma, & materia horum Sacramentorum fuerit servata) & quando ordinationes ab his factæ, dicuntur irritæ, intelligi debent irritæ, quoad executionem, & usum ordinum susceptorum.

T I T V L V S IX.

DE APOSTASIS, ET REITERANTIBUS BAPTISMA.

§. I.

De Apostasia in genere, & in specie, de Apostasia à fide, ejusque pænis.

Apostasia in genere est defectio, & recessus à Deo, triplex est, Apostasia à fide, Apostasia ab ordine clericali, & apostasia à religioso ordine; ut autem quis à fide apostata dicatur, in totum à fide Christi recessisse debuit, ut cum Christianus factus est Judæus, aut Turca, & hinc quamvis omnis apostata à fide, hæreticus etiam dici possit, juxta S. Thomam, tres tantum infidelitatis species agnoscentem, paganismum, judaismum, & Hæresim, non tamen omnis hæreticus, apostata à fide dici potest,

sunt autem ipsdem pænis hi apostatæ à fide subjecti, quibus hæretici, cum sint verè hæretici.

§. II.

De Apostatis ab ordine clericali, & à Religione, ac pænis eorum.

Apostata ab ordine clericali dicitur, qui post susceptos ordines sacros, & editum continentiae votum, in susceptione talium ordinum inclusam; vel si in ordinibus minoribus constitutus est, post acceptum beneficium ecclesiasticum, hoc retento, ad statum conjugalem, vel ad laicalem conversionem, dimisso habitu clericali, propriâ temeritate, transit, Pænz horum Apostatarum sunt excommunicatio ferendæ saltem sententiæ, infamiæ, quam ipso facto incurrit, quamdiu in apostasia

Bbb bb 3

perdu-

perdurat, amissio privilegij clericalis, &c.

Apostata à religione dicitur, qui sine licentia sui superioris regularis ab ordine religioso, quem professus est, & quocunque alio instituto regulari, propria temeritate recedit, sine proposito redeundi, vel cum proposito nunquam redeundi, ad ullum religiosum ordinem. Horum Apostatarum pœnæ sunt excommunicatio, saltem ferendæ sententiæ, suspensio ab ordinum in apostasia tali susceptorum executione &c.

§. III.

De reiterantibus baptismum & eorum pœni.

Reiterantes baptismum dicuntur, qui validè baptizatos rebaptizant iterum, vel rebaptizari se faciunt, ut faciunt hodie anabaptizati (quod *Can. 112. dist. 4. de consecratione*, inopiabile facinus dicitur, pœnæ talium rebaptizantium, aut rebaptizari se fecerunt, sunt irregularitas, si scientes hæc talia fecerint, aut permiserint per culpam mortaliter malam, & delictum eorum sit publicum & notorium *cap. 2. h. e.* & si Clerici sint, deponuntur, si verò laici sint, excommunicantur, & jura civilia attendendo ultimo supplicio afficiuntur.

¶ (o) ¶

T I T V L V S X.

DE HIS, QUI FILIOS OCCIDERUNT.

Ex *c. intelleximus 2. h. e.* habetur, quod maritus ab uxore, quæ filiam suam occiderat, separandus quidem non sit, quoad thorum, aut cohabitationem, curandum tamen sit, ut sui illa sceleris pœnam luat in foro animæ & in *c. de infantibus. 3.* dicit Pontifex, quod parentes non debeant esse

sine pœnitentiâ, si penes illos in eodem lecto jacentes infantes mortui reperiuntur, neque tamen sciatur, an morte naturali defuncti fuerint, vel parentibus oppressi, cum in *Can. consuevit 2. caus. 2. q. 5.* prohibetur sic parentibus tenellos infantes in eodem lecto collocare.



T I T V.